



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XIX. Alexandri Papae III. Ad Henricvm Regem Angliae. Eiusdem  
argumenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

EPISTOLA XIX.  
ALEXANDRI PAPÆ III.  
AD HENRICVM REGEM ANGLIÆ.

Eiusdem argumenti.

*Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio Henrico  
illustri Anglorum regi salutem & apostolicam  
benedictionem.*

**M**AGNIFICENTIÆ tuæ petitionibus gratanter admif-  
fis, & voluntati tuæ in omnibus (quantum cum Deo  
& iustitia possumus) satisfacere cupientes, & tibi, & ho-  
nori tuo deferre, dilectos filios nostros, Vvilielmum ti-  
tuli sancti Petri Ad vincula presbyterum, & \* Oddonem  
sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardina-  
lem, viros siquidem literatos discretos pariter, & ho-  
nestos, & magnum in ecclesia Dei locum habentes, &  
tibi & regno tuo deuotos, quos nos inter alios fratres no-  
stros caros admodum acceptosque tenemus, cum ple-  
nitudine potestatis causas, quas tibi in aliis literis expressi-  
mus, & alias quas expedire viderint, cognoscendi, in ter-  
ram tuam cismarinam excellentiæ tuæ legatos duximus  
destinandos: quibus vices nostras in omnibus ita plene  
commisimus exequendas, sicut illis, vel aliis apostolicæ  
sedis legatis ecclesia Romana committere consuevit. Ea-  
propter serenitatem tuam per apostolica scripta rogamus,  
monemus & exhortamur in Domino, quatenus ipsos, sicut  
tantos viros & apostolicæ sedis legatos, honorifice &  
benigne recipias, & mansuete (prout congruit regio ho-  
nori) pertractes, vt antiquam deuotionem tuam in filiis  
suis sancta Romana ecclesia recognoscat; & excellentiæ  
tuæ ac toti terræ tuæ gubernationi commissæ incremen-  
tum inde non modicum valeat, cooperante Domino, pro-  
uenire. Ea vero, quæ sublimitati tuæ ex parte nostra pro-  
ponent, ita gnauiter admittas, & prompto animo acquie-  
scas, quod Dominus in his & ecclesia sua dignis præuenia-  
tur honoribus, & tu ipse ac vniuersa terra tuæ gubernatio-  
ni commissæ fructum inde multiplicem, & a Deo præ-  
mium, & coram hominibus laudem & gloriam suscipere

valeas. Hoc vero transcriptum nulli mortalium reueles, nisi soli magistro Gunterio, quia fidem meam super hoc magistro Galtero ita stricte, vt voluit, dedi.

## EPISTOLA XX.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD LVDOVICVM VII. REGEM FRANCORVM.

De legatione per Franciam Thomæ archiepiscopo Cantuariensi commissa.

*Alexander seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio Ludovico illustri Francorum regi salutem & apostolicam benedictionem.*

**I**NTER cetera magnificentiæ tuæ & deuotionis insignia, illud specialiter animum nostrum vehementer accendit, quod venerabilem fratrem nostrum Thomam archiepiscopum Cantuariensem, virum siquidem religiosum, discretum pariter & honestum, & nobis & vniuersæ ecclesiæ Dei carum omnimodis & acceptum, & tot & tantis honoribus præuenisti, & ei tam ampla & tam magnifica humanitatis beneficia regia munificentia dignatus es largius erogare. Super quo vtique serenitati tuæ quantas & quas possumus gratias exhibemus, & clementiam tuam exinde immensis in Domino laudibus commendamus; id sicut Deo, cui hæc potius in persona illius fecisti, gratissimum, ita nobis acceptum putantes, tamquam si hoc personæ nostræ specialiter impendisses. Et quoniam eiusdem archiepiscopi pacem totis cordis affectibus exopramus, dilectos filios nostros Vvilielmum tituli sancti Petri Ad vincula, & Oddonem sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, ad carissimum in Christo filium nostrum Henricum illustrem Anglorum regem duximus destinandos, vt inter eundem regem & præfatum archiepiscopum ad vtriusque honorem pariter, & perfectam concordiam, & pacem, Domino cooperante, reformat; & in ipsius regis terra transmarina causas emergentes audiant & cognoscant, & ibidem apostolicæ sedis legatione fungantur.

Eapropter magnificentiam tuam per apostolica scripta  
rogan-